

474

472

478

468

483

463

523

423

573

373

Ende

Anfang

463

nuum dominum militem, Johannem Truchses, mihi singularissime, ut saepe expertus sum, affectum, de quo quid pro me egerit, vide Parte I. Fol. 24. Rogavi ergo socios meos, ut vel hodie mecum in Memmingen manerent, vel sine me recederent, quia abscedere nullatenus possem, nisi viso et salutato domino Johanne Truchses de Waldburg, milite, quem desideranter concupivi videre, quia multum timui, quod forte per mare molestatus inquietudinibus aut defecisset aut invalidior factus perpetuam aegritudinem contraxisset, sicut pluribus contingit. Erat enim vir tenerimus, quasi ligni vermiculus, sicut dicitur de David 2. Reg. 23. Accessi ergo ad nobilem, et gaudiosissime nos invicem salutavimus, cum quo diem illam deduxi pro majori parte.

Memmingen oppidum imperiale suum nomen dicitur sumsisse a subjecto casu. Cum enim non esset ibi civitas, nec villa, sed tantum possessio et praedium nobilium comitum de Kelmünz, qui tunc ditissimi erant et praeter thesauros auri et argenti abundabant in frumento, spelta, tritico, silagine et hordeo ac avena et similibus frugibus, accedit autem, famem vehementem in regione illa fieri, et deficientibus alimentis defluebant cuncti per gyrum ad comitem nobilem, qui tunc temporis regebat Kelmünz et ibi residencebat, eumque pro alimentis interpellabant, se ipsos ei offrentes et omnia sua pro vitae sustentatione, sicut fecerunt Aegyptii Joseph, Geneseos 47. Videns autem multitudinis confluxum, et quod vallarent domum suam exercitibus, designavit spatium per gyrum praefati, et populo denunciavit esse suae voluntatis, in illo spatio civitatem esse, et quicumque veniret et in muro circulari laboraret, hunc alere pane vellet et locum sibi intra murum dare ad aedificandam sibi aedem; sicque factum, ut multitudo confluenteret, et brevi temporis spatio murum circumduxerunt et domos intus erexerunt; et quia de diversis regionibus et pagis convenerant aedificantes, nomen multitudinem significans oppido dederunt, id Mengingen vocantes, quod vulgus Memmingen vocat usque in diem hanc. Eadem tempestate idem comes de Kelmünz aedificavit etiam castrum et villagium Babahuusen, ut habetur in chronica comitum de Kyburg vetustissima (430 a), et interseritur complete legenda S. Udalrici, episcopi Augustensis, qui erat genere comes Kyburgensis. Quidam dicunt, primum oppidi instructorem Memger appella-

